



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 6. Constantinus Imperator baptismo à lepra curatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

4. Reg. 5.

à corpore lepram abstergere. Nam quem-
admodum olim Naaman ad Iordanem mis-
sus & gentilismi errorem ex animo, & le-
præ foeditatem ex cute exterminavit; ita
multi postquam sacro se fonte tingi passi
sunt, etiam corpore esse luridi desierunt.

Sur. II.
Augusti.
Io. Melan
in Nata-
lib. SS.
Belgij.

Sic S. Gaugericus Episcopus Cameracensis
obuium peccatorem lepra punitum, vbi
meliora doctum ablegavit ad sacerdotem
baptismo imbuendum, duplici morbo cu-
rauit. Vnà enim & interioris, & exterioris
hominis squallor ablutus est. Sic Ar-
nulphus Metensis episcopus mendicum vi-
ctum & amictum petentē, cum lepra esset
coopertus, etiam sanitate donavit, quan-
do eum, sacra vnda, qua nondum erat lu-
stratus, perfudit. Quæ illustria sunt docu-
menta, morbos aliquando immitti, vt me-
dicus ametur, cuius tam salutaris est me-
dicina.

Sur. 16.
Augusti.

§. VI.

Constantinus Imp. baptismo à lepra liberatus.

Zonaras.
t. 3. Nice-
phor. l. 7.
hist. Eccl.
c. 33. Ba-
ron. An.
324.

Verùm nihil illustrius potest esse, quàm
quod de Constantino Magno fertur, eum
vtique non alia de causa foedo lepræ mor-
bo contaminatum, quàm vt à Christi me-
dicina, etiam animæ pharmacum accipe-
ret.

ret. Ad quod illi profuit innata pietas. Medicis enim balneū crudelitatis præscribentibus, dicentibusq; , sanguinem cælorum infantium præsens huic malo esse remedium; auersatus hanc immanitatem, maluit ipse ægrotare, quā alios sui sanandi causa occidi. Quare dignus fuit, vt de cælo manus medica illi porrigeretur. Operæ pretium est, historiam ab alijs quidem compluribus perstrictam, sicut à S. Hadriano Pont. in epist. ad Constantinum & Irenen Augustos missa, & secundo Concilio Nicæno intexta narratur, huc apponere. *Cum aliquando Constantinus Imperator per noctem somnum caperet, ecce B. Apostoli Petrus & Paulus dormienti astiterunt dicentes: Quandoquidem sanguinis effusionem horruisti, misi sumus à Christo IESU Domino, dare tibi sanitatis recuperande consilium: audi ergo monita nostra, & fac omnia quecumq; , indicabimus tibi. Silvester Episcopus ciuitatis Romane, ad montem Soracte persecutiones tuas fugiens, in cauernis petrarum cum suis clericis latitat. Hunc cum ad te adduxeris, ipse tibi piscinam ostendet, in quam dum tertio merferit, omnis te valetudo deseret lepra. Quod dum factum fuerit, hanc*

A a

viciſſi-

Sur. in vi
ta S. Sil-
uestri. 30.
Decemb.

viciffitudinem Saluatori tuo compenſa, ut
 omnes, iuſſu tuo per orbem totum Romanum
 Eccleſia reſtaurentur: tu autem purifica te,
 ut relicta omni ſuperſtitione idolorum, tu Deum
 unum, qui verus & ſolus eſt, adores, & exco-
 las, & ad eius voluntatem te dirigas. Exur-
 gens itaque a ſomno Imperator ſtatim conuocat
 eos, qui obſeruabant palatium & ſecundum
 tenorem ſomnij ſui mittit ad montem Soracte,
 ubi Silueſter erat. Profectus inde Silueſter per-
 uenit ad regem, ad quem ingreſſus, inquit:
 Pax tibi & victoria tibi de Cælo miniſtretur.
 Quem cum rex alacri animo & vultu ſuſce-
 piſſet, omnia illi, qua facta, quaque ſibi reue-
 lata fuerant, exponit. Inde percunctatus eſt
 quinam iſti eſſent dii, Petrus & Paulus, qui
 illum viſitaſſent ob cauſſam ſalutis ſue, & eius
 latebras detexiſſent? Silueſter reſpondit: Hi
 quidem Diſ non ſunt, ſed idonei ſerui Chriſti,
 & Apoſtoli electi ab eo, & miſſi ad inuitationem
 Gentium, ut credentes ſalutem conſequantur.
 Cumque ille hac diceret, interrogare cepit Au-
 guſtus, utrumnam ipſos Apoſtolos haberet alia
 qua imago expreſſos, ut ex pictura diſceret,
 quos reuelatio docuerat. Tunc S. Silueſter
 miſſo diacono imaginem Apoſtolorum ſibi exhiberi
 præcepit. Quam Imperator aſpiciens in-
 genti

genti clamore cœpit dicere, ipsos esse, quos viderat: nec debere iam differre Spiritum sanctum ostensionem piscina, quam istos promississe sua saluti memorabat. Constructo itaq; lacu, Constantinus, cum sacro rore tinctus esset, confestim est sanitati pristinae restitutus. Deinde non immemor accepti beneficij, ecclesias Dei exadificare cœpit, columnas earum passim sacris imaginibus in memoriam incarnationis Domini nostri IESU Christi, omniumq; Sanctorum reuerentiam exornavit: nec alia de causa, quam ut Christianismum in lucem & veritatem, DEIQ; cultum proueretur, & omnes gentes à cultu Idolorum & diabolica deceptione conuerteret. Constantinus inde, ut gratiam tanti beneficij Siluestro referret, edictum, quod nunc 6. Cal. Aprilis datum legitur, scripsit, in quo hac historia enarrata, adijcit, se ad referendam gratiam Siluestrum omnibus ad amplitudinem & dignitatem Apostolica sedis ornandam insignibus decorare, atque eundem & Successores eius ipso insuper occidente donare. Tantum per lepram effecit mundi Gubernator; qua si caruisset, nunquam balneum Constantinus poposcisset. Ita & corpori Imperatoris suum decus, & animæ nitor, & baptismo nomen, & Christi glo-

sto gloria, Ecclesiæ denique ingens emolumentum, per imperatorij morbi squalorem, accessit. Nullus Chiron, nulla Podalirij manus tam fuit felix, vt non solum morbos, sed etiam morbis sanaret.

§. VII.

Monstrum à Baptismo abhorrens.

Nec Baptismum honorauit tantum monstruositas in eo sanata, sed ipsa etiam monstra à Baptismo abhorrentia atq; refugientia. Vt enim vespertiliones lucem oderunt, ita sacra ista profani spiritus execrantur. Anno 1554. Stetini natus est infans, cuius vertici capitis infedit massa carnis, imaginē testudinis rufæ præ se ferens. In ceruice, muris instar, caudam tulit carnosam, sed albescentem, sine pilis. Capite erat Therisitico, extantibus terribiliter oculis. Hic tam notatus infans cum portaretur ad Baptismum, mirabili corporis gyratione, horrendis vociferationibus, gestibusq; in hac ætate inauditis, denique dirissimis modis aduersatus est baptizaturus, vt ingens omnibus astantibus terrore incuteretur. Quid aliud voluit hoc monstrum, quàm cælum & orcum inter se pugnare? *Quæ enim participatio iustitiæ cum*

Iac. Fin-
celius de
mirac.
nostri
tempo-
ris, &
Schenck.
obseruat.
16.

3. Cor; 6.
14.

iniqui